

sunt æqualia, igitur gn , hp , sunt æquales, dimidia namque sunt
basium subtendentium dupla ipsorum ag , fh segmentorum. Et quia
ex cõmuni sententiã si æqualibus iungantur æqualia & c., ah , fg ,
circumferentiæ sunt æquales, eadem igitur ratione hm , & go ,
sunt æquales, quia æqualium circumferentiarum dupla subtenden-
tium dimidia existunt. Et quoniã per propo. xxxiiii. lib. i. ele.
Eu. parallelogrammorum locorum latera quæ ex opposito & ang-
guli æqualia sunt ad inuicem, igitur ex cõmuni sententiã. Quæ
vni sunt æqualia & c., lp , æqualis est ipsi ln , & ph , ipsi lm , æq-
lis. Rursus ex communi sententiã. Si ab æqualibus auferantur
æqualia, quæ relinquuntur, æqualia sunt an , & fp , ad inuicem
æquantur. At per prop. vii. lib. iii. ele. Eu. hp , maior est, quã fp , igitur
æqualis lm , maior est quã fp , hoc est maior quã an . Atqui per
prop. xix. lib. i. ele. Eu. Omnis trianguli maior angulus sub ma-
iori latere subtenditur. Et per constructionem seu propositionem
xix. & definitionem secundam lib. xi. ele. Eucli, ald , angulus re-
ctus est, ergo dl , minor est quã dm , & dm , minor quam dn , & ad
maior quã dn , multo igitur fortius ad , maior erit quã dm , & dn
maior quã dl . Est autem lm , velut patuit maior quã an . Igitur
angulus ldm , maior est angulo adn . Et quoniã per xxxiii. seu
ultimã propo. lib. vi. ele. Eu. in æqualibus circulis anguli ean-
dem habent rationem ipsis circumferentiis in quibus deducuntur
& c., ergo in ecliptica abc circumferentiã bi , maiori angulo bdi ,
subtensa superat circumferentiã ak , minori angulo adk , sub-
ductam. Et quia tempus quo in paruo circulo afc , assumptus
punctus eclipticæ nonæ spheræ mouebitur ex a in g , æquale est
tempori quo ex h , in f , mouebitur. At maximus circulus per po-
los eclipticæ decimæ spheræ, atque per assumptum punctum eclip-
pticæ nonæ spheræ transiens, per idem tempus, quo assumptus
punctus eclipticæ nonæ spheræ mouetur ex a , in g , describit su-
per ecliptica decimæ spheræ circumferentiã ak , atque tempore
quo idem assumptus punctus ex h , in f , mouetur idem maximus
circulus pertransiet in eadem ecliptica decimæ spheræ perife-
riam bi , quæ velut ostensum fuit, maior est quã ak . Ergo sub-
iecta tali reuolutione in circulo afc , assumpti puncti eclipticæ